

nulla hominis accedente industria & arte producitur, quæ est Sal commune, nittum, vitriolum, alumen, quæ ex suis mineris effodiuntur: Quamquam hæc omnia etiam artis ope produci queant. Ex vegetabilibus huc referenda sunt Salia essentialia tartarea, quibus plantæ nonnullæ scatent, succi fructuum acidi; ex animalibus spectant huc Salia Ammoniacalia neutra, quæ in excrementis, Urina, Sudore se manifestant. Artificiale est, quod fit ex potentiis naturalibus: quæ tamen non concurrerent, nisi voluntario animalium motu activa passivis applicarentur. Hujus generis salia vicissim distingvi possunt in ea, quæ jam materialiter inexistunt corporibus mixtis, & ex illis igne aut fermentatione proliciuntur; & in ea, quæ mutua corporum commixtione demum emergunt. Prioribus annumeranda sunt omnia salia volatilia, quæ debita Vulcani administratione ex quibusvis animalium partibus exsurgunt, ut & omnia salia lixiviosa fixa vegetabilium, quæ combustionis beneficio in cineres redacta ejusmodi salia fundunt. Hujus generis quoque sunt omnes Spiritus ac liqvores corrosivi acidi, ex variis salibus vehementi ignis tortura artis legibus expressi.

Salia Artificialia in rebus naturalibus non nisi materialiter dantur: cuius adfert rationes adjiciuntur,

§. X. Omnia hæc Salia artificialia formaliter non inexistunt mixtis, sed propensive tantum & materialiter. Quamvis enim urgeri possit, salia hæc etiam formaliter existere in ipsis corporibus, implicita & incarcerata tantum involucris terrestribus, a quibus mediante igne extricentur ac liberentur: ingenue tamen fatendum est, ignem non verum esse corporum Analytæ, uti id fuisse demonstrat *Celeberrimus Boyle in Chym. Scept.* ubi acute & copiose deducit, ignem formas inexistenten-